

PA 6448

.S3

Copy 1



PA 6448

6448

.S3

53

Copy 1

# DE LOCIS ALIQUOT IUVENALIS EXPLICANDIS.



## DISPUTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

**AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS**

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSTITUTA

AD SUMMOS

**IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESENDOS**

DIE XXIV. MENS. NOVBR. ANNI MDCCCL.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

**ARNOLDUS SCHMIDT.**

*i.e. Gustav Arnold Wilhelm*

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

B. TSCHISCHWITZ, PHIL. STUD.

W. HEFFTER, PHIL. STUD.

R. VOLKMANN, PHIL. STUD.

HALAE,  
FORMIS HENDELIANIS.

L 1851.

PA 6448  
S3

**RUDOLPHO HANOVIO**

**HERMANNO MAEDERO**

VIRIS OPTIME DE SE MERITIS

HUNC LIBELLUM

DEDICAT

**AUCTOR.**

01700733 00000000

01700733 00000000

01700733 00000000

01700733 00000000

01700733 00000000

**L**ibros, qui hucusque de Iuvenalis satiris re-censendis atque emendandis scripti sunt, considerantem fugere non potest, tantum abesse, ut iis omnia sint ad finem perducta, ut in omnibus satiris inveniantur, quae animum legentis offendant. idque cum in reliquos cadit tum in nuperrimum editorem Heinrichium (vide praeter alia notam ad sat. I, v. 96. „sportula sedet“, coll. Heindorf. ad Hor. sat. II, 2, 72. 73.), cuius rei culpam utrum rectius in ipsum conferas an in eos, qui post mortem eius librum ediderunt, quis est qui dicat? quamquam igitur exspectandum erit, quid praeter Madvigium conferat Otto Iahnius, cuius editionis primam partem in iis, quae sequuntur, adhibui, ego interim nonnullos locos proposui, quorum explicaciones, quae vulgo feruntur, mihi displicerunt, eosque ut potui emendavi.

---

the other three of the original group  
survived, also probably because they were  
in the position of the upper and right anterior  
The survivors are here identified based on the above  
descriptions. Among others may be mentioned the  
two species of *Phytolacca* which are  
but another of the two new species described by  
Lindley in the present work (see p. 208). C. 100  
specimens of the former class (167) and 100  
specimens of the two of the sulphur species of *Phytolacca*  
which are the upper two classes in 169, and 100  
specimens from a still more numerous class composed  
of slender stems, mostly with 2 or 3 leaves and all  
with 2 slender petioles, each bearing a pair of  
suffrutescent, pinnately compound leaves, several  
times as long as wide, the rachis of the upper

„**N**ihil habet infelix paupertas durius in se, quam quod ridiculos homines facit“ (3, 152. 153.); itaque quam maxime id fieri potest omni irrisione ludendi sunt ii pauperes, qui si olus patienter pranderent, regibus sive dominis uti non deberent (Horatii sunt ex epist. 1, 17, 14), a quibus nou ad cenam, sed ad notam invitantur (uti Plinii utar verbis, quae sunt in epist. 2, 6, 3.). qui pauperes si vel id sibi nequeunt parare, quo stomachus explatur, tamen satius est mendicare, quam inauditam divitum, solis nummis qui praestant honorem, superbiam pati, quorum mores etiam servi imitantur, nam maxima quaeque domus servis est plena superbis. — haec fere Juvenalis initio satirae quintae, quae est in parasitos de cenis contumeliosis.

ventre nihil novi frugalius; hoc tamen ipsum  
defecisse puta, quod inani sufficit alvo:  
nulla crepido vacat? nusquam pons et tegetis pars  
dimidia brevior? tantine iniuria cenae?

10. tam iejuna fames? cum possis honestius illuc  
et tremere et sordes farris mordere canini.

de verbis et de coniunctione et de enarratione in diversas partes abeunt interpretum sententiae. ac primum quidem Heinrichius verba „tantine iniuria cenae? tam iejuna fames?“ eiicit, quasi „zwei erbärmliche Randfragen, in den Text geschoben;“ quod artificium, quamquam tale mihi non videtur, qualia pleraque in hoc genere viro doctissimo, quem in meis praceptoribus summo cum gudio numero, nempe ut irridendae arti criticae inventa esse videantur, tamen iusto celerius huic loco tergum dedisce dixerim

Heinrichium. sed antea videndum erit, quid iudicandum sit de versus decimi secunda parte. in libris manuscri-  
ptis invenitur

cum possis honestius illie,

quae lectio, cum verbi „possis“ altera syllaba longa sit, adhiberi nequit. quod cum viderent interpretes, Heineckius quem secuti sunt et Heinrichius et Weberus et Jahnius, quem postea sententiam suam mutavisse ex editione appetat, duobus vocabulis transpositis in hunc modum emendavit versum

possis cum honestius illie.

addit Heinrichius, caesuram esse neglectam hiatumque esse concedendum, corruptelam inde ortam, quod librarii huius rei rationem non haberent neque scirent, particulam „cum“ etiam post verbum posse poni. quae deinde de neglecta caesura praecipit, fere haec sunt. „hiatum apud Juvenalem non raro inveniri contendunt interpretes, laudantes Rupertii notam ad 1, 150, ubi exempla afferuntur, ex quibus quattuor reiicienda sunt, quae huc non pertineant. quae recte afferuntur, eiusmodi sunt omnia, ut syllaba longa caesuram faciat, initio pedis in arsin cadat ideoque non elidatur. 1, 151. 2, 16. cett. hiatus id genus, quamquam saepe occurrit, tamen ad nostrum locum sanandum minime potest adhiberi. deinde negligitur elisione extra caesuram, saepe apud Vergilium, ita ut syllaba, quae non eliditur, semper sit longa, quae ante vocalem fit brevis. insulae Jonis — te amice nequivi — credimus an qui amant. hoc quoque genus huc non pertinet, nam „cum, num, tum“ breves sunt syllabae, ut vel ex Horat. sat. 1, 9. 17. appetet, coll. Juvenal. 5, 23. sed est paeterea tertium genus, in monosyllabis in prima, interdum etiam in secunda syllaba anapaesti, idque iam ab antiquissimis poetis adhibitum. Ennius „insignita fere tum milia militum octo,“ Lucret. I, 437. corporum augebit numerum. 2, 697 (ed. Lachm. 681) redditia sunt cum odore. 6, 276. semina seque simul cum eo. Horatius in satir. 2, 2, 28. cocto num adest honor idem. c. not. Bentl. coll. schediasm. de metr. Terent. p. 15. et not. ad Terent. Adelph. 2, 2, 24.

Hermann elem. doctr. metr. p. 61. huic generi adscriben-  
dus est noster locus, ita ut legatur „possis cum honestius  
illuc.“ — haec Heinrichius. Quod ad rem criticam attinet,  
Ennii locus nusquam, quod scio, aliter invenitur. alia est  
res, si Lucretii locos consideramus, quos hodie alio modo  
habemus atque Heinrichii tempore, quo „exemplaribus  
corruptissimis, quorum magna pars neque intellegi poterat  
neque ab ipsis auctoribus intellecta erat, tamquam optimis  
usi sunt atque integerrimis.“ nunc demum, ex quo Lach-  
mannus Lucretii libros recensuit atque emendavit, fieri  
poterit, ut recte eos possimus afferre. I, 437 legitur

corporis angebit numerum summanque sequetur,  
non „corporum“, ut antea edebatur. hic versus igitur in  
comparationem vocari nequit; reliqui eodem modo apud  
Lachmannum inveniuntur, quo ab Heinrichio afferuntur. —  
Bentleius, cuius illa est observatio ad Horat. satir. 2, 2,  
28. contendit, in secunda dactyli syllaba hanc veniam  
dari, in tertia non item, id quod Hermannus in element.  
doctr. metr. pag. 62. augustioribus finibus circumscribit  
ita, ut Bentleii observatio ad Horatium tantum pertineat  
eosque qui ab illo tempore vixerunt poetae, non etiam  
ad antiquiores. assert ex Ennio locum apud Priscian. I, 556

insigne fere tum milia militum octo.

**ex Lucretio locus quem addit 2, 466**

nam quod flividum est, e levibus atque rotundis

**huc non pertinet, cum ibi rectius legatur**

nam quod flvidus est, cf. Lachm. comment. p. 99.

**unus superest locus ex codem Ennio**

dum quidem unus homo, Romanu' toga, super escit

**reliqui loci, quos possis ad hanc rem afferre, aliter sese  
habent. itaque Bopert. 3, 28, 45 edit. Lachm. I.**

haec eadem ante illam impune et Lesbia fecit,

**et quos Lachmannus ibi assert 3, 6, 1 „o me felicem, o  
nox mihi candida“ et Tibull. 1, 5, 33 „et tantum venerata  
virum, hunc sedula curet,“ legem quam ibi Lachmannus  
profert, angustiorem esse ipse postea vidit. porro ex Lu-  
cretio 3, 1082 annotavit Bentleius**

sed dum abest, quod avemus, id exsuperare videtur  
cetera.

ex locis allatis appareat, hunc hiatum apud poetas latinos et antiquiores et recentiores inveniri. causam affert Hermannus I. l. et in epit. doctr. metr. §. 87. edit. II, p. 28, et Lachmannus in comment. ad Lucret. p. 130, cuius verba haec sunt: „m finale longam syllabam facit sive producenda vocali sive obscuro sono cum vocali quasi in diphthongum coalescente, quod ni faceret, neque in versu omitti neque hiatum facere posset, qui in brevi syllaba nullus est.“ — his atque eis, quae postea commemorabimus, consideratis iam licebit ad eum locum, unde egressi sumus, redire. etiamsi dubitari nequit, quin hiatus id genus, quod statuerunt interpretes, interdum quamquam raro apud poetas latinos sit, tamen hanc rem ad nostrum locum emendandum esse adhibendum, cum libri manuscripti praeter hanc alias vias nobis ostendant, haud facile dixerim. ante omnia, ut iam antea diximus, nimis celerasse videtur Heinrichius, cum enunciatum illud „tantine iniuria cenae? tam iejuna fames?“ e satira plane eiiceret, quasi insulsum plane atque ineptum. quibus verbis excisis haec habemus

nulla crepido vacat? nusquam pons et tegetis pars  
dimidia brevior? possis cum honestius —

quae quominus recte possint stare eo videtur impediri,  
quod sequitur „possis cum.“ quae cum ita sint, id in  
primis nobis videtur contendendum esse, verba Invenalis  
omnia seryanda esse, e quibus dummodo accuratius con-  
siderentur, sensum fortasse non ita ineptum elicere poteri-  
mus. ita legendum esse censemus:

- 6. ventre nihil novi frugalius; hoc tamen ipsum  
desecisse puta, quod inani sufficit alvo;  
nulla crepido vacat? nusquam pons et tegetis pars  
dimidia brevior? tantine iniuria cenae?  
tam iejuna fames cum possit honestius illic  
et tremere et sordes farris mordere canini.

pro eo, quod fere invenitur „possis“, scribendum est  
„possit“, quod cum iam antea posuisset Weberus, nunc  
iterum Lahnius recepit. de interpunctione versus postea  
videbimus. — omnis res pendet ab interpretatione voca-

bulorum „tam iejuna fames“, qua de re magna est interpretum dissensio. Rupertius haec annotat „tantine pretii est tibi vel a te aestimatur iniuria cenae i. e., cena iniuriosa, convivium, in quo tot talesque iniuriae tibi ferendae sunt? tanti facis cenam divitum nobiliumque, ut propter cam illas toleres iniurias? tam iejuna fames (ut apud Ovid. met. 8, 791) tantane et tam dira est fames tua, ut tanta ob eam et tot iniurias patienter feras? quum pol, profecto, sit honestius, illic, in crepidine vel ponte et tremere, frigore horrere (ut pauper solet, male vestitus et ficte etiam tremens, ubi stipendum mendicat) et sordes farris mordere canini?“ hanc enim facit interpunctionem: tam iejuna fames? cum pol sit honestius illic — quam emendationem e posterioribus interpretibus nemo probavit. — eodem fere modo distinguit Weberus

tantine iniuria cenae,  
tam iejuna fames, cum possit honestius illic  
et tremere et sordes farris mordere canini?

possit dedit e codicibus, „quo enunciatio generalis nascitur, cuius subiectum, ratione antecedentium habita, cogitatione suppleas per aliquis, cum possit aliquis vehementi fame vexatus cet.“ potest hoc modo singularis „possit“ intellegi, quamquam exempla, quae profert Weberus, ita sunt comparata, ut „inquit, ait“ pro eo posita sint, quod nos dicimus man sagt. sed sunt ex optimo quoque scriptore exempla, in quibus tertia singularis numeri persona infinite ponatur propter ellipsis vocabuli „aliquis“, ut Cic. Brut. §. 209 cum autem difficile sit, in longa oratione non aliquando aliquid ita dicere, ut sibi ipse non conveniat; ubi vide intrp.; conferas etiam Heusing. praef. ad Cic. de offic. p. XXXVI, ed. Zumpt., Spalding ad Quintilian. 2, 15, 12, Seyffert Lael. p. 371. Reisig. not. 344. itaque quod ad verba attinet, Weberi explicatio stare possit, quod ad sensum, non item. hauc vult esse sententiam: „estne tanti facienda cena illa divitum iniuriarum plena, ut propter honores misere et contumeliose tractari malis, quam pauperiore, sed tibi honestiore tamen loco versari? tantane et tam dira fames, ut non alia ratione eam expreas,

cum tamen aliquis vehementi fame vexatus in mendicorum statione id honestius possit?" atqui cena divitum atque cena clientis pauperis minime una est eademque. cliens ad cenam vocatur, tertia ne vacuo cessen culcita lecto (v. 17). iam quaenam est cena?

vinum, quod succida nolit

- 25.** lana pati — — mox et pocula torques  
saucius et rubra deterges vulnera mappa.

dominus vinum capillato consule diffusum potat  
calcataisque tenet bellis socialibus uvam;  
splendidissimo poculo utitur, at

tibi non committitur aurum,

- 40.** vel si quando datur, custos adfixus ibidem,  
qui numeret gemmas, unguis observet acutos.  
**46.** tu Beneventani sutoris nomen habentem  
siecabis calicem nasorum quattuor ac iam  
quassatum et rupto poscentem sulphura vitro.

clientes aliam atque rex bibunt aquam, pocula eis dat  
Gaetulus cursor aut nigri manus ossea Mauri, cui nolis  
occurrere per medium noctem; ante dominum flos Asiae.  
alius servus praebet panem clientibus

- 68.** vix fractum, solidae iam mucida frusta farinae,  
quae genuinum agitant, nec admittentia morsum;  
sed tener et niveus mollique silagine factus  
servatur domino.

domino fertur squilla undique septa asparagis, sed clientibus  
dimidio constrictus cammarus ovo

- 85.** ponitur exigua feralis cena patella.

ipse Venafrano piscem perfundit, at hic qui

pallidus adfertur misero tibi caulis olebit  
laxternam.

vos anguilla manet longae cognata colubrae  
aut glacie adspersus maculis Tiberinus et ipse

- 105.** vernula riparum, pinguis torrente cloaca —

- 146.** vilibus ancipites fungi ponuntur amicis.

domino dantur poma, credere quae possis subrepta sorori-  
bus Afris,

- 153.** tu seabie frueris mali, quod in aggere rodit  
qui tegitur parma et galea — —

vides igitur, clientibus pauperibus ab ovo usque ad mala sordidissimos cibos apponi. neque id ideo sit, quod rex bonos atque exquisitos non habeat vel eos, quos habet depromere non velit, sed hoc agit, ut doleant clientes, quos captos putat nidore suae culinae. — itaque non prorsus recte haec Weberus enarravit. — novam rationem init Bogen dissert. critic. Bonn. 1849, pag. 7 — 14, qui aliam sibi visus est enarrationem invenisse eamque solam nexui sententiarum accommodatam. vituperat Weberum, quod hic eam statuit poeticam imaginandi libertatem, qua fami id tribuatur, quod conveuit in hominem famelicum, cum ad abstractum tum modo transferri possit, quod est concreti, cum in eo inest generalis sententia. haec lex, quaecunque est, nimis angustis finibus mihi ab eo videtur esse circumscripta, certe possis locos afferre e scriptoribus non ultimi nominis desumptos, in quibus lex illa, ut proposita est, servata non est. deinde illa quae sunt „ventre nihil — — mordere canini“ minime mihi videuntur omnia ad Trebium quandam esurientem pertinere, vide schol. ad v. 135, neque ubique prouomen „tuus“ addendum esse cogitatione. nam hoc valde caveendum est, ne quis credat, in carminibus omnia referenda esse ad eum ipsum, cuius nomen bis terva invenitur, quod cum in aliis tum in Horatii sermonibus notandum esse docnit me Lachmanns. Bogen, ut sententiam fulciat, hanc assert causam, poetam v. 6. „puta“ secunda imperativi persona usum esse, ideoque omnino pronomea „tuns“ esse supplendum. sed vel haec causa mihi non videtur ita comparata esse, ut id quod ille vult inde sequatur. cf. Heindorf ad Hor. sat. 2, 5, 32 „von puta als Versicherung für mihi crede findet sich kein Erweis, dagegen kommt es in der Bedeutung von exempli causa nicht bloss in den pandecten vor, sondern auch im carm. priap. 37, 6.“ cett. cf. Hand. Tursell. s. v. vol. IV, p. 627—29. iam cum exemplum aptum, ubi fami tribuatur adiectivum „ieiuna“ a nemine allatum esset, suspiciosum ei fuit illud „ieiuna fames“ ideoque aliam proposuit emendationem. sciungit adiectivum „ieiuna“ a substantivo „fames“ ponitque post „ieiuna“

signum interrogationis, ut hoc adiectivum iungatur cum „iniuria“, delecto post „cena“ signo interrogationis;

nulla crepido vacat? nusquam pons et tegetis pars  
dimidia brevior? tantine iniuria cenae  
tam iejuna? fames cum possit honestius —

„sic de fame quae tanquam persona est, id optime dicitur, quod faciunt homines esurientes; saepe enim abstracta quodammodo animata fingunt poetae“ itaque hanc vult esse sententiam: tanti tibi est cena, iniuriis plena, tam tenuis, cum tenues cibi capi possint honestius in crepidine? collata Zumptii gram. §. 425. „iniuria cenae tam iejuna“ vult idem esse atque „iniuriosa atque iejuna cena.“ sed dubitandum videtur, num hoc modo possint vocabula coniungi; non aliter enim potest hic sensus e verbis eliciti, nisi ita ut adiectivum „iejuna“, quod re vera pertinet ad „iniuria“, referatur ad „cenae“, quam rem quamquam non raro et apud Graecos et apud latinos scriptores inveniri apparet ex locis, quos assert Reisig. §. 349 et ibidem Haasius not. 522, tamen exempla illa ita sunt comparata, ut adiectivum illud nullo alio vocabulo a reliquis seiuinctum sit, cum hoc loco eo, quod „tam“ est additum, res prorsus alia fiat. deinde vellem accuratius expositum esset, quidnam significetur illis vocabulis „cena, contumeliis plena, tam iejuna.“ timeo, ne res ad eundem locum redeat. explicat „tenuis“, qua significatione hanc vocem dici Forcellinius affirmat, qui explicationis causa addit tenuis, exiguis. sed ex iis, quae supra attulimus, apparet, cenam non tam tenuem fuisse atque exiguum, quam ex vilissimis cibis eisque corruptis compositam. itaque ne haec quidem explicatio, pace inventoris dixerim, rem videtur ad finem perduxisse. — Otto Lahnius, satirarum novissimus editor, ita distinguit,

ventre nihil novi frugalius; hoc tamen ipsum  
defecisse puta, quod inani sufficit alvo:  
nulla crepido vacat? nusquam pons et tegetis pars  
dimidia brevior? tantine iniuria cenae?  
tam iejuna fames cum possit honestius illic  
et tremere et sordes farris mordere canini.

qui quamquam nondum licet perspicere quemnam sensum his verbis subesse credat, secundo editionis volumine nondum edito, tamen vel nulla enarratione sensum aptum videbis. cum vocabula „tam iejuna fames“ referantur ad verbum „possit“, generalis fit sententia, quae optime eis, quae antecedunt, adiungitur. atqui ita remanent illa „iejuna fames“, quae quid sibi velint sunt qui non intelligent. ut fatear quod sentiam, nou ita inaudita mihi videtur esse haec coniunctio. ac primum quidem simili modo est apud Ovidium in metam. 8, 791. quem locum etiam Rupertius attulit

Frigus iners illinc habitant Pallorque Tremorque  
et iejuna fames —

neque quicquam refert, fames hoc loco utrum persona sit an non sit; sensus idem manet. sed etiamsi hic locus non extaret, tamen minime reiicienda essent illa „iejuna fames“, quae eodem iure possunt dici, quo dictum est ab Ovidio in heroid. 4, 174

sic tibi dent nymphae, quamvis odiisse puellas  
diceris, arentem quae levet unda sitim.

cf. Virgil. Georg. 2, 353. Tibull. 1, 4, 42. [aliam mecum communicavit emendationem amicus, conjectura usus scribens „facis“ pro eo quod est „fames“, ita ut legatur tantine iniuria cenae?  
tam iejuna facis? cum possit honestius illic et tremere et sordes farris mordere canini.

„iejuna“ pro eo quod est vilis, humilis, ineptus, absurdus. cf. Forcell. lex. s. v. coll. Cic. ad famil. 15, 4 non iejunum — et contemendum. deinde quod „facis“ legitur cum statim post sequatur „possit“ hanc personae mutationem nonnullis locis defendere vult. v. Bernhardy synt. p. 424. not., ubi laudatur Propert. 2, 24, 35 (3, 29, 35 ed. Lachm. I.)

me miserum! ut multo nihil est mutata Lyaeo!  
iam bibe, formosa es: nil tibi vina nocent.

cum alii ediderint „es mutata“, et 1, 3, 27.

et quotiens raro dutti suspiria motu,  
obstupui vano credulus auspicio,

ubi itidem ab aliis legitur „raro duxit“. cf. etiam Haase  
ad Reisig. not. 346. hanc si licentiam concedere nolis,  
haec offert

tam iejuna facis, possis cum honestius illuc,

ita ut hiatum statuat, quem nonnullis locis inveniri supra  
expositum est. sed cum neque haec neque illa emendatio  
sit necessaria neutraque sit bona, in iis acquiescas, quae  
ni libris manuscriptis inveniuntur.] — Ubi Bogen expo-  
nit de abstractis, commemorat locum illum e sat. I, 88. sq.

et quando uberior vitiorum copia? quando  
maior avaritiae patuit sinus? alea quando  
hos animos?

cuius loci, Matthiam secutus, hanc proponit sententiam  
ut Iuvenalis aleae, quam ita cogitavit, quasi ea persona  
sit, grato poetarum usu tribuerit „animos“. mihi videtur  
haec licentia audacior esse, quam quae recte possit Iu-  
venali obtrudi. deinde scholiastae verba non cogunt, ut  
hanc interpretationem sequamur; nihil enim ibi legitur,  
nisi „hos animos. ellipsis. subauditur habuit.“ recte sta-  
tuitur hic ellipsis, quam nemo est, opinor, qui neget. sed  
quicquid id est, hoc pro certo habeo, pro eo quod est  
„hos“ cum Heineccio scribendum esse „haec“, quam  
coniecturam etiam Heinrichius recepit, qui reddit „tal is  
alea, ut nunc est, zu welcher Zeit hat diese Spielwuth  
die Gemüther besessen? [haec i. c. tanta, ut saepe apud  
poetas, cf. Seyffert ad Cic. Lael. p. 349]. nihilominus  
Heinrichius videtur lectiones confusisse. addit enim post-  
quam dixit „cepit“ vel „occupat“ cogitatione esse ad-  
dendum, ex eo quod antea dictum erat „maior“, sup-  
plendum esse „magis.“ sed si scribitur

alea quando  
haec animos?

nihil eiusmodi cogitatione est addendum. nam recte dici-  
tur „quando alea talis, ut nunc est, occupavit homines?“?  
i. e. nunquam alea maior s. magis animos cepit, nunc

maxime alea luditur. contra si legas „hos animos“, tum facile est addere „magis“. —

Cum antea hiatus mentionem fecerimus, haud alienum videtur, etiam de reliquis locis, qui afferuntur, videre quid iudicandum sit, Rupertius ad I, 151 hos commemo-  
rat locos

- 1, 151 ingenium per materiae? unde illa priorum —
- 2, 26 si fur displiceat Verri, homicida Miloni.
- 3, 70 hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis.
- 6, 274 in statione sua, atque exspectantibus illam —
- 8, 105 inde Dolabellae, atque hinc Antonius,
- 9, 118 vivendum recte est cum propter plurima, tum his
- 10, 11 consitus periit admirandisque lacertis
- v. 54 ergo supervacua aut perniciosa petuntur
- v. 281 bellorum pompa animam exhalasset optimam
- 12, 36 testiculi: adeo medicatum intellegit inguen.
- v. 110 partem aliquam belli et euntem in proelia turrem,
- 13, 65 hoc monstrum pueru aut miranti sub aratro
- 14, 49 sed peccaturo obstet tibi filius infans,
- 15, 126 hac saevit rabie imbelli et inutile vulgas.

quibus locis addas

- 5, 158 quis melior ploraute gula? ergo omnia sunt
- 6, 468 incipit aguosci, atque illo lacte fovetur
- 12, 32 arbori incertae nullam prudentia cani.

ex hoc numero primum nonnulli sunt removendi; nam quod  
**10, 11** invenitur

consitus periit admirandisque lacertis,

hunc quem dicunt hiatum inde repetendum esse, quod haec verba „iit“ et „petiit,“ cum compositis i altera extenta proferenda sunt, Lachmannus me docuit ad Propert. I,  
**11, 23**

neu, si quid petiit, ingrata fronte negaris;

cuius rei argumentum firmissimum est, quod et in tabula votiva L. Mummi, in Arvalibus Marini pag. 30. legitur redeit, et in lege Thoria venieit, quinques invenitur; eadem observationem proposuit Lachmannus in commentario ad Lucret. pag. 207. 89., praeterea mouet, ne quis hasce syllabas propter caesuram productas esse credat, quod fieri potest, cum Iuvenalis, Horatius Persius, Valerius

Flaccus, Statius, Martialis, qui his vocabulis ante vocales usi sunt, ita semper posuerint, ut hoc possis suspicere. — deinde **10, 54** legitur

ergo supervacua aut perniciosa petuntur,  
ubi post vocem „supervacua“ ab editoribus „haec“ ad-  
ditum esse putat Heinrichius, ut hiatum evitarent, cuius  
tamen hiatus exempla extare idem affirmat, eiusque cau-  
sam hanc esse quod syllaba a caesuram facit, ita ut bre-  
vis syllaba fiat interdum longa. exempla vir doctissimus  
non protulit. afferri possint ex Vergil. Aen. 3, 464

dona dehinc auro gravia rectoque elephanto,  
et ibid. **12, 648**

sancta ad vos animā, atque istius inscia culpa,  
quos versus Lachmannus (vide commentar. in Lucret. pag.  
76.) in hunc modum restituit

dona dehinc auro gravia a sectoque elephanto —  
sancta ad vos anima atque anima istius inscia culpa.

Ennii versum, quem notat Probus ad Vergil. eclog. 6

et densis aquila pinnis obnixa volabat  
vento

sic correxit

et densis aquila hinc pinnis obnixa —.

Vergil. Aen. 3, 702

immanisque Gela fluvii cognomine dicta

aut sic restituendus est, uti iam suasit Martinus

immanisque Gela a fluvio cognomine dicta

aut plane eiiciendus est. cf. Wagneri var. lect. ad Aen.  
9, 151, cui repugnat Lachmannus l. l. p. 326. idem  
Lachmannus docet (pag. 76), vocales breves in exitu vo-  
cabulorum positas, praeter illud que geminatum (cuius  
licentiae ex Vergilio affert Wagnerus exempla in quaest.  
Vergil. XII, 7), nullum poetam latinum produxisse. ita-  
que hoc videtur constare, nostrum locum aliter legandum  
esse atque nunc fere legitur. in codicibus invenitur „aut,  
vel“, inde Doederlinus coniecit

ergo supervacua aut vel perniciosa petuntur,  
propter quae fas est genua incerare deorum?

pro eo, quod legitur „incerare“, Madvigius ex optima emendatione scripsit „incerate“; cf. opuscul. II, 201.  
— magis placet, quod Lachmannus proposuit in comment. ad Lucret. pag. 76

ergo, supervacua aut ne perniciosa petantur,  
propter quae fas est genua incerare deorum? —

porro 9, 118 legitur

vivendum recte est cum propter plurima, tum his  
praecipue causis —

sic fere editiones, cum in libris manuscriptis inveniatur  
„tunc est, tunc, tunc his, tum his, tum de his.“ prae-  
terea non in omnibus codicibus eorum qui sequuntur ver-  
sum idem est ordo; vulgo sic ponuntur

- 118. vivendum recte et cum propter plurima, tum his  
praecipue causis, ut linguas mancipiorum
- 120. contemnas; nam lingua mali pars pessima servi.  
deterior tamen hic, qui liber non erit illis,  
quorum animas et farre suo custodit et aere.
- 123. idecirco ut possim linguam contemnere servi,  
utile consilium modo, sed commune dedisti.

aliter apud alios, cf. Iahn, qui hunc ordinem servat 118.  
123. (119. 120.) 121. 122; vv. 119. 120 spurios esse  
censet; Heinrichius v. 123 suspectum habet. iam cum de  
his certa quaedam sententia non sit, id unum videtur recte  
posse contendi, non recte legi „tum sic“. ex coniecturis,  
quas protulerunt, una mihi placet Iahuii

vivendum recte est cum propter plurima tum vel  
idecirco.

nam quod Lachmannus vult (in comment. Lucret. p. 25. 26.)

cum propter plurima tunc et  
idecirco

id quidem audacius mihi videtur; certo locis, quos assert  
e Caes. bell. gall. 6, 32, 5 et e Cic. de offic. I, 123  
(34, 7 ed. Zumpt.), non sic ut vult ab editoribus receptis,  
vix evincitur, ullo tempore cum et tunc in enumerando

esse coniuncta. — reliqui loci, qui afferuntur, inter ea hiatus genera numerandi sunt, quae Heinrichius primo atque secundo loco posuit, quaeque apud alios poetas eodem modo inveniuntur. ad primum genus omnes pertinent, excepto uno loco ex sat. 12, 32, qui similis est Vergilianis illis „Insulae Jonio in magno“, quod genus secundo loco posuit Heinrichius. —

Satira nona cum tota dialogus sit inter poetam et Naevolum draucum eundemque moechum, factum est, ut dissensio inter viros doctissimos exsisteret, quaenam essent et Iuvenali et Naevolo verba tribuenda. initium satirae usque ad v. 26. omnes poetae adscribunt, sed quae inde sequuntur, a v. 27 ad 90 usque, utrum omnia sint Naevoli an quaedam ex iis poetae, drauci questus interrumpenti, attribuenda sint, non ita manifestum est. cuius rei iudicium pendet ex explicatione vv. 45 sqq.

servus erit minus ille miser, qui foderit agrum,  
quam dominum. sed tu sane tenerum et puerum te  
et pulchrum et dignum cyatho caeloque putabas.  
vos humili adsecutae, vos indulgebitis unquam  
culti, iam nec morbo donare parati?

50. en cui tu viridem umbellam, cui sucina mittas  
grandia, natalis quotiens redit aut madidum ver  
incipit et strata positus longaque cathedra  
munera femineis tractat secreta kalendis!

Rupertius versus 48. 49. poetae putat esse, Virronem eiusque similes alloquentis, itemque vv. 50 — 53 poetae tribuit, quibus continetur lepidum consilium, Naevolo datum, atque amara irrisio et formae et avaritiae et mollitiei Virronis cinaedi, ut haec verba ad ea spectent quae Naevolus vv. 46. 47, et verba vv. 48. 49 ad ea, quae v. 45 dixerat. Heineckus cum Rupertio vv. 48. 49. vult poetae esse; contra Heinrichius omnia usque ad v. 90 Naevolum dicere contendit. plurimum refert, qua ratione versus 53 intellegatur. in codice bibl. Parisiens; olim Puteani, legitur „tractat“, cum in reliquis fere inveniatur „tractas.“ illud Rupertius recepit, ut pendeat a voce „quotiens.“ (Pergit „praestiterit tamen“ ut strata positus

longaque cathedra munera femineis tractet secreta kalendis“, h. e. manibus pertractet, dulcedine eorum taliumque deliciarum captus, quam coniecturam, sane probabilem, haud facile dixerim esse necessariam.) hanc explicationem placere sunt qui negent, cum verba „et strata positus cet.“ et explicandi et amplificandi causa addita sint ad „madi-dum ver.“ ut haec sit sententia „en cui tu munera mittas, quotiens kalendis missa munera manibus contrectat“, quasi Virro etiam ab aliis atque ab amatoribus donari possit secretis muneribus. atqui verum si quaerimus, nihil inesse potest in verbis, nisi hoc, etiam ab aliis praeter Naevolum Virroni munera donari, eosque si quidem fuerunt, fuisse amatores et verba docent et Matronalium ratio, nam kalendae martiae sacrae fuerunt uxoribus romaniis et puellis, quibus tum munera et a maritis et ab amantibus mittebantur. itaque hoc tantum posset significari, Virronem praeter Naevolum etiam alios draucos habuisse qui ei his diebus festis munera offerebant. verum non tantum Matronalibus dona mittebantur, sed etiam die natali, qui a Iuvenale commemoratur, quo die munera dabantur et a propinquis et ab amicis, quos amicos omnes ex illo turpi genere esse necesse non est. munera dicuntur a poeta „secreta“, quod hoc loco tantum Naevoli munerum habetur ratio, qui talia offerebat, qualia feminas decent, quaeque, quod viro offeruntur, appellantur secreta. deinde addunt, illa interiectione „en“ ad amarissimam irrisiōnē significandam posita perspicuum esse, nec Naevolum neque quemquam illi similem Virroni munera mittere. sed si recte video, illis verbis „en cui mittas cet.“ hanc sententiam subesse nemo ex interpretibus contendit. dicunt hi aut Virronem postulare, ut sibi munera mittantur, quam opinionem sequitur Rupertius una cum Heineckio et Heinrichio, aut Virronem dignum esse, cui munera secreta mittantur. locus simillimus est, qui exstat in Verr. I, 37, 93. „haec est istius praeclara tutela. en cui tuos liberos committas; en memoria mortui sodalis; en metus vivorum existimationis. cum tibi se tota Asia spoliandam ac vexandam praebuisset; cum tibi exposita

esset omnis ad praedandum Pamphylia: contentus his tam opimis rebus non fuisti: manus a tutela, manus a pupillo, manus a sodalis filio abstinere non potuisti.“ quem locum possis aliqua ex parte adhibere ad Heiurichii explicationem v. v. 50 — 55. iam utrum re vera mittantur an non mittantur munera, alia est res eaque quae ex verbis poetae ad certum finem deduci non potest. Virronem, quippe mollem avarum eiusmodi dona postulasse vel saltem desiderasse omni probabilitate destitutum esse non videtur, et omnino ditiores apud Romanos a pauperioribus id certis quibusdam conditionibus postulasse negari non potest. — versus illi 48 et 49

vos humili adseculae, vos indulgebitis unquam  
culti, iam nec morbo donare parati

causa sunt, cur ex interpretibus alii omnia inde a versu 27 usque ad versum 90 verba Naevolo, alii quaedam ex iis poetae tribuant, ut eius sint exclamatio iam non mirantis istiusmodi homines clientibus nihil dare, cum ne amatores quidem quicquam accipient; idque Naevolum dicere non posse, cum is, qui tam saepe rem turpem cum Virrone habeat eoque quotidie utatur, debeat scire, quales se praebeant Virrones erga clientes, poeta autem optime possit simulare se illorum mores nescire. sed haec casua mihi non videtur ea esse, ut inde ductus hos versus poetae attribuam, sed cum iis facio, qui hoc loco orationem sive querelas Naevoli minime esse interrupta censeut; id vero statim addam, me non prorsus eis assentiri. ut vv. 45 — 55 non bene procedant, alia re videtur mihi effectum esse, quae iam exponam qualis sit. cum enim, ut nunc positi sunt versus, vv. 48. 49. oratio incommodo interrumpatur, hos duos versus e loco quem obtinent removendos alioque loco collocandos esse iudico, ut iam haec oriatur series versuum:

45. servus erit minus ille miser, qui foderit agrum,  
quam dominum. sed tu sane tenerum et puerum te  
et pulchrum et dignum cyatho caeloque putabas.  
en cui tu viridem umbellam, cui sucina mittas  
grandia, natalis quotiens reddit aut madidum ver

50. incipit et strata positus longaque cathedra  
 munera femineis tractat secreta kalendis.  
 (48.) vos humili adseculae, vos indulgebitis unquam  
 (49.) cultori, iam nec morbo donare parati?  
 54. die, passer, cui tot — —

sic omnia rectissime procedunt, et versus, quos ante illa, quae sunt „dic, passer, cet.“ posuimus, aptissime cum his iunguntur. sensus iam hic erit: foedissimum monstrum mollis avarus, qui cum propter voluptatem libidini indulgeat, tamen avaritiam arcere neque vult neque potest. hunc iam amara irrisione alloquitur iratus Naevolus: tu te pulchrum putabas atque vel Ganymedes tibi videbaris esse, et ideo, vel quod putabas, mihi facile esse id quod optas praestare, tam parvum mihi das pretium. quid quod die natali aut diebus festis Matronalibus cathedra positus munera tibi vis mitti. iam si mihi, qui omnia, vel turpissima officia tibi praesto, tam avarum te praebebas, quid fiet clientibus, quid his douabis, si a te petiverint? dic, libidinosissime, quam ob causam tam sordida sis avaritia et cui tot tantasque opes serves? ceterum id nullo loco ostenditur, quod multi interpres annotant, Virronem fuisse provectioris aetatis, idque neque verum neque verisimile esse clare elucet e poetae verbis, cf. vv. 70—90. quae cum ita sint, versibus illis

sed tu sane tenerum et puerum te  
 et pulchrum et dignum cyatho caeloque putabas

nihil significatur, nisi Virronem deformem fuisse, sed nihilominus sibi ipsi visum esse formosum atque bellum; in iis quae sequuntur, simulata illa pulchritudo deridetur. — Aliam viam ingressus est Bogen l. l., qui versus illos sic iungit, scribens „tractet“ pro eo quod est „tractat“ sive „tractas“: en cui tu viridem umbellam mittas et (qui) strata positus longaque cathedra munera tractet, ut ex „cui“ relativo ad alteram enunciationis partem idem relativum casu nominativo audiatur, adhibita Madvigii emendatione sat. I, 157. cf. Kühner ad Cic. Tusc. I, 30. 72. sed cum persuasum habeam illa verba

et strata positus longaque cathedra  
munera femineis tractat secreta kalendis

explicationis causa ad utrumque enunciatum pertinere, et ad „natalis quotiens redit“ et ad „aut madidum ver incipit“, hanc coniecturam quamvis ingeniosam probare nequeo. —

Tertia satira Iuvenalis induxit Umbricium disputantem, quare urbem deserat; versu 160 sqq. haec sunt.

qnis gener hic placuit censu minor atque puerilae  
sarcinulis impar? quis pauper scribitur heres?  
quando in consilio est aedilibus? agmine facto  
debuerant olim tenues migrasse Quirites!

contra Rupertium, qui aediles ex infimis magistratibus dicit esse, qui ius dicunt, Heinrichius affirmat, aediles neque infimos indices neque magistratus infimos fuisse, ne ex minoribus quidem magistratibus, sed ex maioribus, neque ullos in Romanorum republica fuisse magistratus, qui infimi dicerentur. [Die aedilen nimmt man hier für infimi indices und magistratus; das sind aber die aedilen durchaus nicht, die aedilen gehören, wie Jedermann weiß, zu den magistratus maiores, nicht einmal zu den minoribus, geschweige zu den infimis, dergleichen es überhaupt nicht gab in der römischen Verfassung.] — sed tota haec res paullo altius repetenda videtur. ut intellegatur quid intersit inter magistratus et minores et maiores, ex M. Messalae auguris de auspiciis lib. I. locus, qui exstat apud Gell, noct. Attic. 13, 15 affertur, ubi haec inveniuntur; „patriciorum auspicia in duas sunt divisa potestates. maxima sunt consulum, praetorum, censorum — — reliquorum magistratum minora sunt auspicia: ideo illi minores, hi maiores magistratus appellantur. minoribus creaudis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed iustius curiata datur lege. maiores centuriatis comitiis fiunt“ cuius loci ratione habita aediles sunt magistratus minores; sed tamen reliqui aliorum scriptorum loci, quibus de hac re commemoratur, non ad unum omnes sentiunt. ac primum quidem alia tradit Cicero de legg. 3, 3 „minores magistratus partili iuris plures in plera

sunto. militiae, quibus iussi sunt, imperanto, eorumque tribuni sunt: domi pecuniam publicam custodiunto; vincula sontium servanto; capitalia vindicanto; aes, argentum aurumve publice signanto; lites contractas iudicanto: quod-iunque senatus creverit, agunto. suntoque aediles curatores urbis, annonae, ludorumque sollemnium; ollisque ad honoris amplioris gradum is primus adscensus esto.“ — Cicero igitur aediles a magistratibus minoribus seiungit, neque Beckerum credo esse audiendum (Handbuch der römischen Alterthümer II. Thl. II. Abthlg. p. 85. not. 168), qui haec, quamvis ita esse videantur, ideo tantum dicta esse dicit, quod aediles quasi transitum faciant a minoribus ad maiores magistratus inter eosque medium quoddam teneant! maxime res quae sit appareat ex loco Suetonii, qui est in vita Caesaris cap. 41 statim ab initio: „senatum supplevit, patricios allegit, praetorum, aedilium, quaestorum, minorumque etiam magistratum numerum ampliavit“. differentia, quae nihilominus remanet, ita facilime removebitur, ut ponamus, duas fuisse rationes, quibus adhibitis magistratus dividebantur in maiores et minores. auspiciorum ratione habita praeter consules, praetores, censores nulli magistratus habebantur maiores; sed alius etiam superest distribuendi modus, maiores enim nominantur, quibus magistratibus in senatu licebat dicere sententiam; id quod cadit in consules, praetores, censores, aediles, tribunos plebei (plebiscitum Atinum), quaestores. — Iam ut ad Iuvenalem redeamus, versu 162 legitur

quando in consilio est aedilibus?

ad quae Heinrichius notat, aediles, sicuti praetores, consilium habuisse, non commemorari; sed cum haberent iurisdictionem, essentque, ut Cic. de legg. 3, 3 dicit, curatores urbis, annonae, ludorumque sollemnium, consilio eis opus fuisse, ex nostroque loco apparere, eis, qui in consilio essent aedilibus, inde lucrum exstisset. iam cum inter omnes constet, potestatem atque iurisdictionem aedium non semper unam fuisse eandemque, ante omnia haec res accuratius erit describenda. omnium magistratum

enim primum potestas aedilium est restricta \*). cum tempore liberae civitatis penes eos essent ea, quae ex Ciceronis verbis supra commemoravimus, aliter sese res iam Caesaris et Augusti temporibus habuit. Caesar numerum auxit, ut iam sex essent, duo aediles Cereales praeter illos quattuor, eisque mandata erat cura annonae ludorumque Gerealium; sed potestatem diminuit; quaeque iis Caesar et magis etiam Augustus eripuerunt, aliis tradiderunt, ut aedilibus superesset cura arcendorum incendiorum (postea praefecto vigilum commissa), balneorum, lupanarium et popinarum, legum sumptuariarum; [libri, qui displicebant, ub eis cremabantur]; ludorum cura ab Augusto praetoribus commissa. ut recte Heinrichius, consilium aedilium nusquam videtur commemorari; ideoque alia via usus hunc modum si forte solvam videbo. cum aedilibus, in primis antiquis temporibus, multa et magna officia essent mandata, facile apparet, eos non omnia ipsos potuisse perficere; sed, ut reliquis magistratibus, ita etiam aedilibus ministri attributi erant, qui magistratibus parerent. hi ministri cives romani erant sive ingenui sive liberti, omnibusque merces annua dabatur. iam aediles adiuabant scribae librarii, viatores, praecones; senioribus temporibus commemorantur scribae et praecones aedilium curulum, viatores aedilium plebei. de quibus omnibus primum locum obtinent scribae, eorumque ordo nominatur honestus. qui cum, nisi per totam vitam, certe per multos annos munere suo fungerentur, fiebat, ut omnia quaecunque ad magistratum pertinebant, melius tenerent quam ipsi magistratus, cf. Beckerus I. l. pag. 375, cuius haec sunt verba: „demnach erscheinen die scribae nicht sowohl als Diener, sondern als Gehülfen der magistrate, deren diese wesentlich auch darum bedurften, weil sie durch mehrjährige Dienste mit den bestehenden Formen und Gesetzen oft vertrauter sein mochten, als die magistrate selbst.“ deinde quod addit Heinrichius, eos qui in consilio Aedili-

---

\*) cf. Becker antiquit. roman. II. 3. p. 248. sq.

bus erant, inde sibi pecuniam paravisse, id quidem in nostram rem cadit, nam mercede conducti, ut Cic. in Verr. 3, 78, 182 verbis utar, erant scribae. quamquam illa merces non ita magni momenti mihi videtur esse ad nostrum locum explicandum. — In iis quae sequuntur verbis enarrandis interpretes non unum idemque tradiderunt, vel ut rectius dicam, eam quam vulgo proferebant explicacionem Madvigius reiecit novamque proposuit. verba enim

agmine facto  
debuerunt olim tenues migrasse Quirites!

referebant ad secessionem in montem sacrum et locum sic interpretabantur: „pauperes Romani olim, cum aere alieno obruti et a patriciis vexati in montem sacrum secessissent, debuerant omnes simul migrasse, prorsus urbem deseruisse neque unquam rediisse, quia exinde semper contemptu laborarunt atque oppressi sunt. paullo aliter Heinrichius“ „wenn es im alten Rom so gewesen wäre, so hätten die armen Leute schon längst haufenweise auswandern müssen,“ quibus omnibus repugnat Madvigius commentatio I, pag. 17, 18.), sententiam negat esse aptam, cum de suorum et proximorum temporum iniunctitate poeta queratur; praeterea ea omnia in uno migrandi verbo non inesse, quod alio tum loco, ut in quo uno tota esset sententiae vis, collocatum esset; illa autem „agmine facto“ vitiouse redundare, agmine enim facto sane illos veteres secessisse. quo ductus Madvigius aliam sententiam proposuit, quam ita effecit, ut vocabulo „olim“ supponeret significationem „iamdudum“, qua eadem significatione vocabulum apud Iuvenalem invenitur 4, 96

sed olim  
prodigo par est cum nobilitate senectus,  
et 6, 346

audio, quid veteres olim moneatis amici.

cf. etiam Hand. Tursell. IV, 370. 371. itaque poeta dixisset: iamdudum pauperes in tantis malis, quae Romae eos premerent, omnes coniuncto consilio discedere debuisse, sed ut ingenue fatear, quod sentio, haec mihi

explicatio, quamvis ingenuosa atque speciosa, rem perfecisse non videtur, ut ad priores explicationes certe aliqua ex parte credam redeundum esse. nam si quis poetae verba legit, huic persuasum habeo sponte in mentem venturam esse illam secessionem in montem sacrum, quam si Iuvenalis hic attingere noluisse, inepta ratione esset usus. ut nunc res est, in loci explicatione narratio illa iure mitti nequit. itaque recte fecisse putem Rupertium, qui poetae verba explicat „debuerant omnes simul prorsus deserere Romam nec unquam redire“: si omnes urbem reliquissent alioque loco novam condidissent, divites patrii superbiam deposuissent aliquis rerum status et esset factus et mansisset. (cf. Liv. 3, 32 pavor ingens in urbe metuque mutuo suspensa erant omnia. timere relicta ab suis plebis violentiam patrum, timere patres residem in urbe plebem, incerti, manere eam an abire malleant.) iam quod Madvigius negat, ea omnia, quae volunt interpretes, in uno migrandi verbo inesse, id quidem non assequor; verbo nihil aliud significari volunt nisi urbem relinquere neque unquam redire, eodemque significatu verbum adhibet Liv. 5, 49, cum dicit „servatam deinde bello patriam iterum in pace haud dubie servavit (Camillus), cum prohibuit migrari Veios.“ idem Liv. 1, 11 Romam inde frequenter migratum est, a parentibus maxime ac propinquis raptarum. denique quod assert, migrandi verbum in versu non eum obtinere locum, ut praecipuum possit habere vim, iusto brevior et fortasse celerior fuit; certe non difficile erit locos non ita paucos afferre, quos eodem iure vel eadem iniuria possis reprehendere. —

Iuvenalis in satira prima, cur difficile sit satiram non scribere, inter alia etiam haec habet

45. quid referam quanta siccum iecur ardeat ira,  
 cum populum gregibus comitum premit hic spoliator  
 pupilli prostantis, et hic damnatus inani  
 iudicio (quid enim salvis infamia numis?)  
 exsul ab octava Marius bibt et fruitur dis  
 iratis, at tu victrix provincia ploras?

„Marius Priscus, Africae proconsul, provinciam expilave-

rat, et ob innocentes tam condemnandos quam interficiendos a solo Martiano septingenta milia acceperat. cum itaque ab Afris, quorum causam agebat Plinins, a. n. c. 853 repetundarum accusaretur, Cornutus Tertullus consul designatus, in cuius sententiam plerique senatores discedebant, hanc pecuniam aerario inferendam, et Mario urbe Italiaque interdicendum censebat. cf. 8, 59. sq. 120 sq. et imprimis Plin. ep. II, 11. 12. iudicium itaque hoc non modo iniquum fuit, sed etiam inane, quod neque provincialibus quicquam profuit, quoniam repetita pecunia ipsis non redditum est, sed in aerarium delata (unde mox „victrix provincia ploras“) neque Mario multum nocuit; is enim infamiam, damnatione et exsilio sibi adspersam, nihil curabat, quia non omnem, qua spoliaverat provinciales, pecuniam iis restituere coactus erat, sed retinuerat tantum, ut nunc laetius in exsilio quam olim Romae vivere posset.“ haec Ruperti, neque aliter rem enarrat Heinrichius; qui viri doctissimi vereor ne romano nomini fecerint iniuriam, quia non satis accurate Plinii narrationem legerunt. itaque id egi, ut si fieri posset, rem rectius exponerem. — Quod antea factum erat quaestione perpetua de pecuniis repetundis, id ab Augusti tempore senatui concessum erat, ut qui provinciam male administrasse arguerentur, ab eo aut damnarentur aut absolverentur. Marius, Priscus, Afri-  
 cae proconsul, ab Afris, quibus aderat Plinius una cum Tacito, repetundarum accusatus, omissa dentensione petiit iudices id est recuperatores (cf. Rein. röm. Criminalrecht, p. 639) sed cum Priscus immanitate et saevitia crimina excessisset, quibus dari iudices possent, contra dixerunt Plinius et Tacitus, atque respondentे Frontone Catio ita censuere patres, Mario quidem iudices s. recuperatores interim dandos, evocandos autem, quibus diceretur innocentium poenas vendidisse; nam Vitellius Honoratus, qui interim peropportune mortuus erat, trecentis milibus exsiliū equitis romani, septemque amicorum eius ultimam poenam; Flavius Martianus unius equitis romani septingentis milibus plura supplicia arguebatur emisse. Martianus inductus, jcumque abesset Marius, dilata est

res in proximum senatum, cui praesidebat princeps Traianus. Plinio respondit pro Martiano Claudius Marcellinus, senatus missus et in posterum revocatus, quo die pro Mario Salvius Liberalis dixit, cui respondit Tacitus cloquentissime et *σεμνῶς*; pro Mario versus dixit Fronto Catius; senatus censuit, „septingenta milia quae acceperat Marius pro morte equitis romani, aerario inferenda; Mario urbe Italiaque interdicendum; Martiano hoc amplius Africa:“ Pompeius Collega, cuius sententia non valuit, septingenta milia, quae acceperat Marius, aerario inferenda et Martianum in quinquennium relegandum; Marium repetundarum poenae, quam iam passus esset, censuit relinquendum; quam sententiam si conferas cum iis, quae Plinius I. l. de se narrat “erit igitur perquam onerosum, accusare damnatum quem ut premebat atrocitas criminis, ita quasi peractae damnationis miseratio tuebatur“, intelleges opinor errasse Rupertum. cf. epist. 6, 29 accusavi Marium Priscum, qui lege repetundarum damnatus, utebatur clementia legis, cuius severitatem immanitate criminum excesserat, relegatus est. nempe seiungendum est crimen repetundarum ab iis criminibus, propter quae Marii res in senatu agebatur, quod ob iudicandum pecuniam acceperat; quamquam crimina re vera uno eodemque nomine continentur. Marius iudices petierat, pecuniamque, quam constituerant, quadruplum ut videtur, persolverat, quae pecunia quomodo distributa sit, non plane assequor. itaque causam, quam affert Rupertius, cur iudicium iniquum fuerit, inanem puto, nam appareat, pecuniam, quam recuperatores constituerant, non illa fuisse septingenta milia, quae acceperat Marius a Martiano, nam haec, quibus equitis romani crudelissima mors emta erat, recte aerario inferebantur. itaque hac re vix est provinciae iniuria facta, quod si voluisset senatus, Plinius et Tacitus certa contra dixissent, in epistolisque ille rem commemoraret. atqui haec habet “si quid actum est in senatu dignum ordine illo. accipe ergo, quod per hos dies actum est, personae claritate famosum, severitate exempli salubre, rei magnitudine aeternum“. provincia victrix est, neque ideo plorare potest, quod pecunia sibi

debita in aerarium sit delata, nam hoc factum non erat. cur igitur plorat? num ideo, quod senatus pro tantis criminibus nihilominus leges mitigaverat, quod illis temporibus ei licuit? cf. Reim l. l. 642. nihil restare videtur, quam ut ponamus, quaedam, ad hanc causam quae pertinent, memoriae tradita non esse aut temporibus intercidisse. Romae scribit satiras Iuvenalis, Romae fiunt quae commemorat. atqui Mario urbe interdictum erat; exsul Romae esse nequit. epist. 6, 29 dicit Pinius, relegatum esse Priscum, quam relegationem qui patiebantur, ii neque civitate neque re familiari privabantur.

Initio eiusdem satirae Iuvenalis recitationes poetarum quantamque sibi faciant taedium commemorat; addit, quae-nam poemata fere recitentur

- quid agant venti, quos torqueat umbras  
 10. Aeacus, unde alius furtivae devehat aurum  
 pelliculac, quantas iaculetur Monychus ornos,  
 Frontonis platani convulsaque marmora clamant  
 semper et assiduo ruptae lectore columnae.

quae supremo loco sunt vocabula „assiduo ruptae lectore columnae“ Heinrichius explicat „assidua lectione, praelectione, ut persona posita sit pro re, quam efficiat; additque huius dicendi generis exempla non ante Horatii tempora inveniri, apud quem primum est in epist. 1, 1, 94.

capillos  
sic curatus inaequali tonsore,  
et ibid. I, sq. 12, 13.  
quid si quis vultu torvo ferus et pede nudo  
exiguaeque togae simulet textore Catonem?

mihi secus videtur, credo enim et nostrum locum et Horatianos sicuti aliorum poetarum nonnullos locos ad eam ablativi absoluti rationem revocando esse, qua aut solis ablativis aut addito pronomine seu adiectivo temporum conditio certusve status designatur. vide Bernhardy ad Cic. Brut. 34, 128, pag. 112 not. critic. — in Horatii locis enarrandis novissimus editor epistolarum, Obbarius, illum explicandi modum non sequitur et recte in comparationem vocat illud ex carm. 1, 6, 2.

Scriberis Vario fortis et hostium  
victor Maeonii carminis alite,

cogitandum enim est „cum Varius sit poeta“ (cf. Scaligeri castigg. in Propert. p. 207 quem laudat Orellius, qui tamen in his reliquisque exponendis parum est constans), itemque illo loco ex epistolis desumpto „cum tonsor sit, qui tam prave capillum secat, ut ab una parte brevior sit, ab altera longior, et in satir. 2, 1, 84

sed bona si quis  
iudice condiderit laudatus Caesare?

ubi dicendi genus magis elucet. neque aliter apud Tibullum 1, 1, 1

divitias alias fulvo sibi congerat auro,  
quae Dissenius, si recte video, fere eodem modo explicat;  
magis hoc pertinet 1, 1, 72

neque amare decebit  
dicere nec cano blanditias capitii

(capiti enim est ablativus, ut apud Catull. 68, 124.), et 1, 6, 86

amoris  
exemplum cana simus uterque coma.

e Propertio nonnulla exempla affert Lachmannus ad 1, 4, 13, pag. 20. id liberius dicendi genus ne scriptores quidem evitaverunt; cf. Zumptii compend. gramm. §. 472. Seyffert ad Lael. 15, 54. pag. 349. 253; eodemque refere locum ex Cic. orat. pro Mil. 18. „iacent suis testibus“, quem locum Madvigius affert in gramm. §. 245. not. 3, ubi fere ab Heinrichii parte stat. quam profert explicationem Handius in Tursell. I, 25, cf. etiam Kritz ad Sallust. Ing. 31, 3, ea obscurior mihi est. [ubi cessat voluntas, neque is, cuius causa aliquid fit, personam agentis tenet. tunc ablativum ponunt sine praepositione. Iuv. 1, 13. agentis esset „a lectore.“] itaque ut ad locum, unde egressi sumus, tandem aliquando redeamus, eum ablativi absoluti constructione explico, ut huc fere pertineat illud praeceptum, quod Heinrichius affert ad v. 70 satirae primae

quae molle Calenum  
porrectura viro miscet sitiente rubetam.

In eadem satira, inde a versu 127 haec sunt

- ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum :  
sportula, deinde forum iurisque peritus Apollo  
atque triumphales, inter quas ausus habere  
**130.** nescio quis titulos Aegyptius atque Arabarches,  
cuius ad effigiem non tantum meiere fas est.  
vestibulis abeunt veteres lassique clientes,  
votaque deponunt, quamquam longissima cenae  
spes homini: caulis miseris atque ignis emendus.

„veteres, nicht senes, denn das kann vetus nicht heissen,  
sondern graves severi.“ Ruhnk. ad Vellei. Paterc. p. 244.  
homines veteres et senes; dialog. de caus. corrupt. elo-  
quent. 6. Oder: deren Vorfahren schon clienten des  
Hauses waren, die also um so mehr Wohlwollen und  
Aufmerksamkeit verdienten.“ — haec Heinrichius, quocum  
equidem minime facio. ac primum quidem quod negat,  
„veteres“ idem significare atque „senes“, id quidem vereor  
ut verum sit. vetus enim ad aetatem refertur, raro a  
prioribus scriptoribus, a posterioribus saepius. veteres  
enim sunt senes, qui diu vixerunt. cf. Forcellini lex. s. v.  
et Doederlin. synonym. IV, pag. 89, cuius viri doctissimi  
infra attuli sententiam. itaque Tibullus I, 8, 50

in veteres esto dura, puella, senes.

ipse Juvenalis 14, 189

haec illi veteres praecepta minoribus  
quamquam huic loco aliam possis significationem adscri-  
bere. sed 7, 170

fusa venena silent, malus ingratusque maritus,  
et quae iam veteres sanant mortaria caecos.

9, 16

quid macies aegri veteris, quem tempore longo  
torret quarta dies olimque domestica febris.

inde apparet, Heinrichii explicationem recte stare non  
posse veriusque iudicare qui cum Boettichero (lexic. Tacit.  
s. v. pag. 488. 489.) aliisque vocabulo „vetus“ signi-  
ficationem senex attribuunt. iam quod Heinrichius pergit,  
„veteres“ nostro loco significare posse „graves, severi,“

hanc quidem notionem ad locum recte intellegendum aptam esse vix credam. [Ruhnkenius ad Vellei. Patercul. 2, 49, duce Pseudo-Asconio ad Cic. in Verr. I, 10 „tres hi homines veteres“, annotat, etiam „veteres“ dici pro „antiqui sive severi“, hominesque veteres esse homines graves et severos. quam significationem huic vocabulo interdum subesse quamquam nemo recte negabit, possis enim hoc trahere Iuvenal. 3, 1 veteris amici, et 5, 54 veteri parere clienti, tamen locum ex Verrinis orationibus allatum Zumptius aliter enarrat, qui „homines veteres“ potius esse exercitatos, rerum iudiciorumque gnos vult. locum, quem affert Heinrichius ex Taciti dialogo c. 6 „ullaue tanta ingentium opum ac magnae potentiae voluptas quam spectare homines veteres et senes et totius orbis gratia subnixos in summa rerum omnium abundantia confitentes, id quod optimum sit; se non habere?“ minime hoc revocandum esse ostendunt dialogi interpretes. Doederlinus in synonym. IV, 89 gradationem in his vocabulis inesse statuit, ut „vetus“ homo, sicuti γέρων, ad numerum annorum, quos vixerit, sit referendum, „senex“ autem, (πρεσβύτης) sensu ἡθικῷ ad ea, quae sunt aut bona aut mala senectutis propria, velut ad gravitatem, tranquillitatem, prudentiam, infirmitatem. quamquam igitur in his, quae senectutis sint propria, etiam gravitas numeratur, tamen non haec sola notio subest vocabulo, et vocabulum „senex“ hanc habet vim, non adiectivum „vetus“, quod tantum numerum annorum sive aetatem significat. in editione Taciti, quam curavit Doederlinus, paullulum mutavit sententiam contenditque, inesse in his vocabulis eam gradationem, ut „veteres“ sint corroborati ingenio et prudentia, „senes“ etiam venerabiles animo et prudentia. verum tamen neutro loco ab Heinrichio stat Doederlinus.] gravitas enim atque severitas in laudibus sunt. iam cui hic locus ad laudandum aptus videbitur, cum et in proximis et in iis versibus, qui sequuntur, Iuvenalis paene totus sit in vituperationibus. deinde gravem virum eundemque severum ea mente fore, ut bona summa putet aliena vivere quadra, ab animoque impetraturum esse, ut horas multas consumat

exspectatione, num forte a patrono ad cenam vocetur, ad cenam dico fortasse talem, qualem satira quinta poeta ante oculos ponit, haud facile crediderim. sed vel hoc demus; sint sane severi atque graves clientes, quibus deest, quod inani sufficit alvo quique ob hanc causam servant vestibulum, num forte ad cenam vocentur, cumque videant, spem fallacem fuisse, lassi abeunt: sed verum si quaerimus, id unum affirmari nequit, clientes omnes, quotquot agnime magno iannam domini pulsabant (Senec. de ben. 6, 33), omnes, qui aderant clientes severos fuisse atque graves. — alteram, quam profert Heinrichius narrationem haec est, ut „veteres“ ii sint clientes, quorum maiores iam fuerant eiusdem patroni clientes, et qui ob id ipsum merebantur, qui benignius exciperentur. sed haec quoque explicatio nimis mihi videtur esse ut ita dicam honorifica. nam apud patronos illo tempore non valent honos aut id genus alia, sed divitiae tantum vincunt. ab hac significatione proprius abest ille locus 5, 64 „quippe indignatur veteri parere clienti.“ — haec fere habui, propter quae Heinrichii enarrationes non probarem. restat ut videamus, num possimus alia via atque ille locum tractare. itaque „vetus“ ad aetatem referimus, cui explicationi usum non repugnare antea ostendimus; sed veteres non solum sunt aetate proiecti, sed etiam exercitati, corroborati ingenio atque prudentia (cf. Doederl. I. I. coll. Zumpt. in Verr. I, 10, 30, pag. 73.), qua significatione in malam partem non raro uti scriptores ostendunt et Boetticherus I. I. pag. 488 et Meyer ad Cic. Brut. 74, 260, pag. 216, ut veteres fere sint astuti, callidi. itaque nostro loco homines id genus tanguntur, quos, quamquam aetate iam proiectiores sunt eamque ob causam pedum cursu iam non valent (Vergilii sunt ex Aeneid. 5, 67), tamen longi itineris non poenitet; nempe sperant fore ut mensae adhibeantur: sed praeter spem evenit res, itaque lassi itineribus domum redeunt. nam etiam hoc mihi videtur non recte Heinrichius fecisse, quod dixit at vocabulum „lassi“ diu stare clientes exspectareque, ut patronum salutent, denique lassos domum redire, quod cena illo die

non praebetur. [Sie stehen lange und warten, um dem Herrn ihren Gruss zu bringen; müde gehen sie endlich nach Hause, weil es heut keine Mahlzeit giebt.] inde a versu 127 describitur ut ita dicam ordo ac series negotiorum clientium, qui ante solis ortum patronum salutatum ibant, deinde officia anteambulonis praestabant, in forum dominum comitabantur, inde eum domum reducebant et interdum ad cenam invitabantur; nam sportula iam, cum salutatum venirent, dabatur. vides, opinor, hoc iter non ita breve fuisse, senibus praesertim. — Quod Beckerus in libro, cui inscribitur Gallus, negat, nostrum locum cum iis quae antecedunt, posse adhiberi ad rationem clientium et patronorum dijudicandam, sed potius in eis numerandum esse, quae consuetudini repugnant, id quidem ab eo recte factum esse fortasse negaverim. ac primum quidem sportula dabatur in salutando, ut Zumptius me docuit. sed etiamsi cum hoc errarem, nihilominus nostrum locum possis coniungere cum solito more; nihil est enim quod impedit, quoniam id quod effectum est pro eo positum esse dicas quod efficitur. deinde quod addit, inauditum plane esse atque insolitum, feminas quoque sportulam petivisse, haec quidem res mihi videtur eo spectare, quod non solum viri viros comitabantur, sed etiam feminae feminas, ut idem Zumptius me docuit. —

Eadem satira est v. 63

- nonne libet medio ceras implere capaces  
quadrivio, cum iam sexta cervice feratur  
65. hinc atque inde potens ac nuda paene cathedra  
et multum referens de Maeccenate supinus  
signator falso, qui se lautum atque beatum  
exiguis tabulis et gemma faceret uda?

Madvigius cum Rupertio post „quadrivio“ ponit signum interrogationis, quam rationem unice veram esse atque rectam vult; vereor ut recte, potest enim optime particula „cum“ vv. 55 et 58 ad illa „sed quid magis“ v. 52. referri. quod v. 64 legitur „iam,“ Heinrichius proposuit eam in his vocabulis inesse sententiam, eum qui hic notatur falsarium nondum ad summum suaे pervenisse

luxuriae fastigium; et cum hodie iam hexaphoro utatur, cras lectica octophoro feretur. dubitem, nam si haec voluisse set poeta, accuratius rem describere debebat, sed etiamsi concedas, uno illo vocabulo „iam“ Heiurichii enarrationem posse significari, nihilominus res manet in suspenso, nam ut candide fatear, sententia mihi videtur non apta locoque quem obtinet, minime consentanea. exponit poeta et causas, quibus sit ductus ad satiras scribendas, et quo rem modo instituerit; mores tam corrupti, ut si natura neget faciat indignatio versum, nec quicquam ulterius, quod illius aevi moribus addat posteritas. itaque ut sibi constaret poeta uniuscuiusque rei seu vitii summam debebat tangere, id quod cum reliquis tum nostro loco erat faciendum; quod ni ita esset, non iam eo die, quo poeta haec dicit, medio quadriuio impleret ceras capaces, sed postero demum die aut eo die, quo octo servis feretur falsarius. mibi videntur illa „cum iam“ eam obtinere significationem, quam Handius in Tursell. vol. 3, p. 118 commemorat, ut significant gerade als, da eben; addit, „sed possunt etiam idem fere exprimere, quod simulac.“ sequuntur illa „ac nuda paene cathedra.“ cum interpretes iungant „paene nuda,“ contra Heinrichius contendit, iungenda esse inter se vocabula „paene cathedra.“ illos ut sequamur, postulare videntur ea quae proxime procedunt „hinc atque inde patens; itemque particula „paene“ interdum post vocabulum, ad quod pertinet, collocatur, nec solum apud recentioris temporis scriptores, sed etiam apud Ciceronem. id quidem negat Madvigius in commentario ad Cic. de finibus I, 2, 4 „quis enim tam inimicus paene nomini romano est cet.“, quo loco, cum eum fugisset tertius locus, particulam ad subsequens substantivum affirmat pertinere. idem in Cat. mai. 49 iungit „videbamus in studio dimetiendi „paene caeli“ atque terrae; nam, ut dicit in opusc. 2, 274, nec caelum vere quisquam dimensus est, et romano homini parum subtiliter loquenti de rebus mathematicis vix terram porsus dimetiri quisquam posse videbatur; itaque Cato Gallum „paene caelum“ et terram dimetiri voluisse dicit.“ quamquam hic locus non multum facit ad rem,

nam si fides habenda Klotzio, in libris de hoc loco maxima est differentia, et ob eam ipsam causam, quam profert Madvigius, si re vera est causa, videtur „paene“ ad dimetiendi verbum referendum esse. neque, si de finn. 1, 2, 4 „inimicus paene“ iungis, ineptior erit sensus (denn wer wäre so dem Römerthum förmlich Feind. Droysen.), quam si cum Madvigio haec enarras „nomen ipsum romanum odisse videtur, qui literas latinas odit.“ tertium locum de legg. 2, 2, 4 „gaudeo igitur, me incunabula paene mea tibi ostendisse“ affert Handius in Tursell. 4, 418, apud posteriores scriptores vox non ita raro postponitur, neque est, quod dubitemus apud Iuvenalem „paene“ ad „nuda“ refere.

Satira eadem, ubi Iuvenalis vividis coloribus depinxit rationem; qua suo tempore sportula praebebatur, commemoratur libertinus, qui cum prior adesset quam reliqui clientes eidemque honestiores atque nobiliores, postulat, ut sibi ante omnes sportula detur. et fit, quod vult; vincunt dvitiae. ipse libertinus

prior, inquit, ego adsum.

cur timeam, dubitemve locum defendere? quamvis  
natur ad Euphratem, molles quod in aure fenestrae  
**105.** arguerint, licet ipse negem, sed quinque tabernae  
quadringenta parant. quid confert purpura maior  
optandum, si Laurenti custodit in agro  
conductas Corvinus oves, ego possideo plus  
Pallante et Licinis.

v. 106 ad „parant“ notat Heinrichius „nonnullis, qui eodem loco, quo ego, nati sunt, fenore tanta sibi paraverunt, ut equites fierent“; et ad v. 108 „possideo“ addit, id dictum esse ut antea „parant“, i. e. mox possidebo. quae duae explicationes quomodo inter se possint coniungi, non video, ut negem, eas recte posse stare. primum dubitem, num hac ratione possit praesens tempus poni, ubi exspectatur futurum, certe loci, quos afferunt Madvig. gramm. §. 339. et Haasius ad Reisig. not. 452, aliter sunt comparati, ut non possint recte cum nostro loco comparari. itaque id quod iam antea Rupertius fecerat,

restat, ut haec tempora propria significatione intellegantur, sensusque hic sit „quinq[ue] tabernae mihi quadringenta sestertia quotannis parant, ita ut ego plus possideam Pallante et Licinis“ (de varietate scripturae dixit Madvig. in opuscul. 2, 203 sq.) poeta vituperat imprudentiam hominum humili loco natorum, qua impudentia atque imprudentia moti, quamquam ditissimi, sportulam rapiunt neque iis cedunt clientibus, qui magnis honoribus praediti nihilominus pauperrimi sunt. non sperat igitur is, qui nuper Romam servus trans mare advectus pedibus gypsatus venerat, se divitem fieri posse, sed iam dives est divitiisque innixus superbus est atque arrogantia elatus reliquos clientes despicit. cui interpretationi non obstat, quod postea commemoratur libertinum nuper Romam venisse, neque mirum foret, si illis temporibus brevi spatio ex servo factus esset libertinus et dives. praeterea non ubique particula nuper significatur proximum tempus antecedens, sed etiam tempus ante triennium, ante quattuor, decem, quadraginta (cf. Zumpt. in Verr. 2, 47, 118 pag. 353.) annos; cf. intrp. ad Cic. de nat. deor. 2, 50, 126 „nuper, id est paucis ante saeculis“, et Hand. in Tursell. IV, 346. Cic. in Verr. 4, 3, 6 „nuper homines nobiles eiusmodi, iudices: et quid dico nuper? immo vero modo ac plane paullo ante vidimus;“ quid quod „modo“ eodem ratione adhibetur, de quo vocabulo dixere Gronov. observatt. 4, 18, p. 483 ed. Frotscher et Hand. Tursell. 3, 645. deiude quod Heinrichius Rupertum vituperat propter ea, quae annotat de tabernis et veteribus et novis, nunc accaratiis de hac re praecepit Beckerus antiq. rom. (vol. I. Topographie der Stadt Rom pag. 295 — 297) unde intellegitur, etiam Heinrichium errasse. erant enim argentariae tabernae et novae et veteres, earumque pars nominabatur septem, posterioribus temporibus quinque tabernae; quamquam dubitari potest, num quinque tabernae appellatae fuerint. cf. Beckerus l. l. not. 502 qui idem negat, quas Iuvenalis hic commemorat quinque tabernas illas septem sive quinque tabernas fuisse. — Pergit poeta deinde

exspectent ergo tribuni,

- 110.** vineant divitiae, sacro ne cedat honori,  
nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis,  
quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum  
maiestas, etsi funesta pecunia templo  
nondum habitas, nullas nummorum eximus aras,  
**115.** ut colitur Pax atque Fides Victoria Virtus  
quaeque salutato crepitat Concordia nido,  
sed cum summus honor finito computet anuo,  
sportula quid referat, quantum rationibus addat,  
quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc est  
et panis fumusque domi?

iure quodam possis affirmare in v. 116 aliqua ex parte  
id cadere, quod de alio dixit Muretus, hunc versum mox  
plures interpretes habiturum esse quam versus habet ipsa  
satira. singulorum interpretum conatus afferre quid re-  
fert? quibus omnibus consideratis id unum videtur mihi  
restare, fateri, vix ac ne vix quidem posse rem ad certum  
finem deduci eamque inveniri enarrationem, in qua possi-  
mus acquiescere. itaque nolim novam proferre explicatio-  
nen, etiamsi novam invenissem viam, qua possem fortasse  
tueri ciconias. sed est tamen aliqua res, propter quam  
hunc versum nolebam prorsus omittere; aliud quoddam  
mihi in mentem venit, ab iisque conatibus, quos hucusque  
protulerunt, quoad vidi, toto caelo diversum, ita ut fortasse  
toto caelo erraverim. in scholiis haec inveniuntur.

**112.** Quandoquidem inter nos. inter nos quidem  
magna divitiarum maiestas, etsi pecunia quidem nondum  
consecrata est ut in numero sit deorum vel etiam colatur  
in templis, quemadmodum Pax atque Fides et cetera. ac  
per hoc ostendit, tam inepte haec numina coli, quam si  
pecunia templum haberet.

**113.** (Maiestas) [funesta] quoniam per scelera ad-  
quiritur. quod funerum faciendorum sit causa. quod per  
parricidia congeritur.

**116.** Quaeque salutato c. Concordia nido. ciconia,  
quae contra templum Concordiae ex consilio rostri sonitum  
facit. saturice salutato nido, non templo.

„Templum Concordiae, inquit Probus, est vetus, in  
quo ciconia multa est. aut quae venientibus salutatum

concrepitu consensum prodebat: et satyrice salutato nido non templo Concordiae. crepitat rostro Ciconia scilicet quae concussione rostri sonitum pacis videtur reddere.“ Valla.

Inde ductus suspicatus sum, vocabulo „nido“ nihil aliud exprimi quam ipsum Concordiae templum, non nidum in vestigio templi a ciconiis factum. Iuvenalis vituperat Romanos, quod numina inepte colant, ideoque templum eorum contemptim nominat nidum; quod templum cum in monte esset situm, vox „nidus“ offensui esse vix potest. sed quid sibi velit illud „crepitat“, plane non intellego; quod cum Otto Lahnius retinuerit, exspectandum erit, num is tandem aliquando rem ad liquidum perducat. equidem interim coniecturam proponam, quae mihi sese obtulit

quaeque salutatur tepido Concordia nido,  
quam ei ineptissimam dicent qui haec legent, non est  
quod doleam. — In ultimis versibus enarrandis summus  
est interpretum consensus, ut ego verecunde tantum atque  
dubitanter audeam ea proferre, quibus ductus aliam ab  
illisque prorsus diversam mihi finxerim explicationem. iam  
in scholiis invenitur ad v. 117 „sed cum summus honor,  
id est senatorum;“ neque aliter ii, qui postea in Iuvenalem  
operam suam contulerunt. itaque Rupertius „si summi  
magistratus tam sordide et sine omni pudore sportulam  
petunt,“ neque aliter Heinrichius vocabulis „summus honor“  
significari dicit homines, qui summis honoribus functi sunt.  
itaque omnes versum 117 referunt ad v. 110 „sacri ne  
cedat honori.“ ut ingenue fatear, mihi secus videtur.  
vide modo sententiarum coniunctionem: libertinus iste post-  
quam impudentia effecit, ut sportulam acciperet ante reli-  
quos clientes et genere et honoribus longe superiores,  
poetae ipsius sequuntur verba hanc arrogantiam indignan-  
tis dolentisque, quod omnes res, virtus, fama, decus,  
divina humanaque divitiis parent, et genus et virtus, nisi  
cum re vilior alga est (Horatii sunt ex satir. 2, 3, 95.  
5, 8.), virtus enim post nummos. libertinus dives, cui ob  
ipsam pecuniam summus honor est sanctissimaque maiestas,  
opponitur reliquis clientibus, quicunque illi sunt. iam iis

qui sequuntur versibus eadem oppositio retinenda est, ut contrarium quam maxime id fieri potest appareat. „summus honor“ igitur v. 116. nihil significare potest nisi eundem libertinum iam antea vituperatum. contra si cum interpretibus ponas, „summus honor“ esse summos magistratus, sententiae minus inter se fiunt contrariae vv. 116. 118., id quod hoc loco necessarium esse vocabula „sed cum — quid faciant“ clare ostendunt. itaque v. 117 referendus est ad v. 110 „vincant divitiae“ et ad v. 112 „sanctissima maiestas.“ versu 116 intellegitur dives, v. 118 pauperes, paupertasque divitiis opponuntur. sed dives proximis versibus nemo commemoratur praeter illum libertinum; magistratus qui commemorantur, praetorem et tribunum plebei in pauperibus habet poeta. sed id quod magis etiam notandum est, reliquaque magis obstat interpretibus, v. 117 haec leguntur

sed cum summus honor finito computet anno  
sportula quid referat, quautum rationibus addat

quae ultima verba sic nude posita in magistratus cadere non possunt, quibus redditus omnino erant nulli, nam vasarium ad provincias ornandas pertinet. contra optime haec refieres ad illa

— — sed quinque tabernae  
quadringenta parant — —  
ego possideo plus  
Pallante — —

„comites“ v. 119 quod poeta dicit, significare vult eos, quibuscum una eademque fortuna utitur, coll. v 101 nobiscum. —

---

## VITA.

---

*Gustavus Arnoldus Guilelmus Schmidt* natus sum die III. mens. Innii anni MDCCCXXVII Sibosiae patre Guilelmo matre Io-  
hanna e gente *Bierwagen*, fidem profiteor evangelicam. primis li-  
terarum rudimentis imbutus a viro reverendissimo *Bertholdo*, Dr.  
philos. verbique divini in patria ministro, cum ad duodecimum  
usque annum scholam publicam frequentassem postquam pater optimus  
initio anni huius saeculi XXXIX praematura morte mihi est  
obreptus, inter gymnasii Züllichaviensis quod regit *Hanovius* dis-  
cipulos receptus sum ibique usque ad annum MDCCCXLVII mansi.  
quo anno testimonio maturitatis exstructus die XIV. mens. April.  
numero civium universitatis Fridericæ Guilelmae Beroliensis *Aug.  
Boeckhio* rectore legitime adscriptus sum nomenque apud facultatem  
philosophicam *Lachmanno* decano rite sum professus. audivi  
*Gablerum*, *Trendelenburgum*, *Boeckhium*, *Lachmannum*, *Zumptium*,  
*Ad. Schmidtum*, *Rankium*, *Ern. Curtium*, *Hertzium*. post bienium  
Halae die XXV. mens. April. *Meyero* rectore in civitatem  
academiae Fridericianae Halensis cum Vitebergensi consociatae receptus  
per duodeviginti menses intersui lectionibus *Erdmanni*, *Meieri*,  
*Leonis*, *Keilii*, seminariis philologicis *Bernhardii* et *Meyeri*, semi-  
nario paedagogico *Niemeyeri*.

Quibus viris omniibus optime de me meritis quantas maximas  
possum gratias ago neque agere unquam desinam.

---

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 091 164 7

## THESES.

---

I. Apud Ciceronem de legg. 1, 12, 34 vulgata servanda „[amicitive] est ea vis, ut, simul atque sibi aliquid quam alteri maluerit, nulla sit.

II. Apud Horatium in epist. 1, 5, 6 „imperium fer“ referendum est ad Torquatum.

III. Apud Quintilianum I, 2, 7 neque „coccum“ neque „coquum“ scribendum est.

IV. Horat. carm. II, 1, vv. 13—16 ante vv. 9—12 ponendi sunt.

V. Horat. epist. 1, 6, 51 Gessnerus recte explicavit.

VI. Latinarum litterarum contemptus non tam ex ipsis litteris repetendus est quam ex inscitia rerum, quae ad eas pertinent.

VII. Tacit hist. I, 2 init. „opimum“ delendum est.

---

S. 100



LIBRARY OF CONGRESS



0 003 091 164 7